

nisi alimentorum medicina succurrat. Quae quoniam praesto est ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostrae infirmitati terra et aqua et coelum serviunt, calamitates deliciae vocantur. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiae molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiae. Ipse enim transitus voluptas est, et non est alius, qua transeat, quam quo transire cogit necessitas. Et, cum salus sit causa edendi et bibendi, adiungit se tamquam pedissequa periculosa iucunditas, et plerumque praeire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et saepe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, et in eo praeparat excusationis patrocinium, gaudens non adparere, quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, et invoco dexteram tuam ad salutem meam, et ad te refero aestus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem jubentis Dei mei: non graventur corda vestra in crapula et ebrietate (Luc. 21, 34.) Ebrietas longe est a me; misereberis, ne adpropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam subrepat servo tuo; misereberis, ut longe fiat a me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des. Multa nobis orantibus tribuisti; et quidquid boni, antequam oremus, accepimus, a te accepimus, et ut hoc postea cognosceremus, a te accepimus. Ebriosus numquam fui, sed ebriosos a te sobrios factos ego novi. Ergo a te factum est, ut hoc non essent qui numquam fuerunt; a quo factum est, ut hoc non semper essent, qui fuerunt; a quo etiam factum est, ut scirent utrique, a quo factum est. Audivi et aliam vocem tuam: Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. (Si-